

NICOLAVS COMES SOLMENSIS.



Nicolaus ex illustri familia comitum à Solms natus fuit. Is in omnis generis uirtutibus educatus in virum maximum euasit. erat enim magna corporis & animi fortitudine conspicuus. Vnde Cæsarum castra secutus, prima militiæ rudimenta sub Maximiliano Cæsare posuit, cum is Venetos bello peteret. Postea uero magnam militiæ laude adeptus, Papiæ ordines duxit, & 1525 prelio, in quo rex Franciscus caperetur, interfuit, atq; multa suæ uirtutis documenta edidit. Par ratione Nicolaus Viennæ in obsidione Turcica anno 1529 fuit, atq; cū alijs patriâ Germaniam omni metu liberauit. Itaq; Carolus Cæsar eius uirtute motus eum in suum ordinem recepit, & aurei uelleris equitem constituit. Postea quoq; Ferdinādus rex hunc Nicolaum 1541 ad Turcam legatū misit, et res maximas eius auspicij impetravit. Erat enim prudētia mirabili cum rara facundia conspicuus. Vnde res sibi belli & pacis tēpore commissas summa dexteritate expediuuit, atq; hac ratione passim Germaniæ patrię inferuiens, magnam apud principes autoritatem nactus fuit, ut merito huius Herois exemplo nobilitas Germaniæ omnem operam ad reipub. Christianæ utilitatem dirigere debeant. P. Iouius.